



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

97. An Regulares, quando confitentur extra confessarium ab Ordinario approbatum? Et an Præpositi nostræ Religionis possint confiteri simplici sacerdoti nostræ Religionis, qui non sit admissus ad ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

loco Concilij probatur, nam Concilium, vt legenti patet, solum decernit nullum Sacerdotem, nec etiam Regularem posse excipere confessiones secularium absque approbatione per Episcopum obtenta; ergo tantum inducit obligationem, quod Sacerdos secularis, absque approbatione Episcopi, non audiat secularium confessiones; bene igitur poterit sine approbatione eiusdem Regularium audire confessiones.

4. Et ita hanc sententiam præter Sà, Ragucium, Végan, Ledesimam, Graffium, Henriquez, Suarez, Campanili, & Navarrum, quos ego ipse citavi in p. 3. tract. 2. de dubijs Regular. resol. 30. tenet etiam Petrus Ochagavia de Sacram. tract. de confess. Sacram. quæst. 38. num. 4. Agidius Trullench in expos. Bullæ Cruciatæ, lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 1. num. 5. Philippus de la Cruz in thes. Eccles. tract. 1. cap. 20. num. 2. Hieronymus Rodriguez in compend. 99. Regular. resol. 31. num. 21. Fagundez præc. 2. lib. 7. tr. 7. cap. 2. n. 3. Valquez in 3. part. tom. 4. quæst. 93. art. 3. dub. 3. num. 5. Villalobos in summa, tom. 1. tract. 9. diff. 51. num. 1. Ioseph de Ortu in specul. Paroch. cap. 10. num. 8. Sylvius in addit. ad 3. part. D. Thom. quæst. 8. art. 5. queritur 4. Reginald. tom. 1. lib. 1. cap. 5. num. 41. & lib. 8. cap. 3. sect. 4. num. 36. & Ludovicus de San Iuan in summa, tom. 1. quæst. 9. art. 1. de Sacrament. Pœnit. dub. 1. diff. 4. in appendice, vbi sic asserit. [Para oyr las confessiones de los Religiosos, es suficiente la aprovacion, y comission de sus Prelados, y con ella las pueden oyr, qualquier simples Sacerdotes. Porque aunque el Concilio sess. 25. cap. 15. determina que ninguno aunque sea Regular, pueda oyr las confessiones de los seglares, aunque los dichos seglares sean Sacerdotes, si no fueran aprovados por los Obispos, este Decreto solamente tiene lugar en las confessiones que hazen los seglares, porque para los Religiosos es suficiente la aprovacion y licencia de sus Prelados, como lo era antes del Concilio, que no revoco el vso y derechos antiguos de los Regulares.] Sic ille. Vnde clarè patet opinionem nostram non esse, vt asserbat Novarius, contra mentem Concilij, sed esse potiùs fundatam in ipsomet Concilio, & communiter ab omnibus Doctoribus receptam. Et licet à Sancto vbi supra, pro contraria sententia in favorem Novarij citetur Coriolanus de casibus reservatis, part. 1. sect. 3. art. 16. num. 2. fallitur tamen; nam ibi loquitur, vt aperte patet, quando Regulares consentitur Sacerdoti seculari vigore alicujus Iubilæi: & tunc multi asserunt, non solum Coriolanus, quod talis Sacerdos debet esse ab Ordinario approbatus: nam Summus Pontifex illud privilegium concedit Regularibus cum illa conditione. Secus autem est in nostro casu; de quo contendimus cum Novario: nam nos loquimur in terminis Concil. Trident. & in aliis confessionibus extra Iubilæum factis à Regularibus cum Confessariis secularibus ex licentia suorum Superiorum, in quibus non opus est Ordinariorum approbatione.

5. Imò ego probabiliter puto Regulares, qui consentitur vigore Iubilæi seu Bullæ Cruciatæ, posse eligere Confessarium Regularem, approbatum solum per ejus Superiorem, quamvis non obtineat approbationem per Episcopum. Nec licet in Iubilæis, & in Bulla, Cruciatæ, exprimat, vtentem illis debere eligere Confessarium approbatum ab Ordinario, intelligi oportet juxta formam traditam in Trident. sess. 25. cap. 15. exposcente ab Ordinario approbationem videlicet ab Episcopo quando confessiones excipiendæ sunt Sæcularium, quando verò Regularium relinquuntur dispositioni juris communis, dicentis

Ordinarium Regularem esse Religiosi Ordinis Superiorum. Ita Sanctus loco citato num. 6. qui citat Rodriguez, Ledesimam, Bonacinam, Moure, Valerium, & alios.

6. Vnde ex his omnibus sequitur, & sæpius addit & practicatur, quod si alicui Regulari concedatur licentia tacite vel expresse, vt in itinere confiteatur cum Sacerdotibus extra Ordinem, tunc eligere poterit Sacerdotem secularem non approbatum ab Episcopo, dum tamen sit aliis idoneus. Et ita docet Zerola in praxi de pœnitent. cap. 15. quæst. 2. §. Dico quarto. Henriquez lib. 6. cap. 31. n. 1. Suarez tom. 4. disp. 18. sect. 4. num. 5. Emmanuel Sà v. Confessari. num. 6. Ochagavia de Sacram. tract. 2. quæst. 38. num. 4. Valquez in 3. part. tom. 4. quæst. 93. art. 3. dub. 3. num. 5. & alij. Quibus etiam addo Ludovicum de San Iuan in summa, quæst. 9. art. 1. dub. 2. diff. 5. conclus. 2. vbi sic ait. [El Padre Llamas dize, que el Religioso que va à camino con licencia de sus Superiores, la lleva virtual para elegir qualquier Sacerdote de todo el mundo secular, & regular, aunque no sea aprovado, como no este delcomulgado, suspenso, & por otra via impedido. Lo primero se prueba, porque assi lo ençiença Calteca, trayendo una declaracion de Eugenio IV. acerca dello punto. Lo segundo, porque esto a sido costumbre antigua de los Prelados, que lo han tenido por bien, y el Concilio Tridentino no ha innovado algo acerca de los Regulares.] Ita ille licet aduersus Llamas dubitet de tali licentia generali Prælatorum, quando potest haberi Confessarius Ordinis. Sed hoc non facit pro casu nostro. Ex quibus remanet satis firma nostra sententia aduersus Novarium, virum aliquot doctum, & mihi charissimum.

7. Notandum est tamen hic obitet, id quod alibi docui, & nunc iterum doceo, in quo multi Regulares pessimè falluntur, & seipsos decipiunt, nempe in itinere etiam si habeant expresse licentiam consentendi cum quocumque Sacerdote, sub tali licentia non includitur facultas, vt possint obtinere absolutionem à reservatis, maxime à Confessariis secularibus. Ita Doctores communiter; vnde supradictus Ludovicus de San Iuan loco citato dub. 3. sic ait. [Si el Prelado da licencia al Religioso para elegir Confessor fuera de la Orden, no podra en virtud de la dicha licentia ser absuelto de reservados, porque como se dize en derecho, en la concession general no se contienen aquellas cosas que no se concederian especialmente se pidiesen.] Sic ille. Vnde si Regulares in itinere, quod Deus avertat, incidant in casum reservatum, & necesse sit Missam dicere; possunt illam ratione scandali celebrare sine prævia confessione eliciendo actum contritionis; vel vt alibi diximus, confiteantur cum attritione etiam peccata reservata, si velint, quæ indirectè tunc à Confessario absoluntur, & postea iterum Confessario habenti super illa jurisdictionem, manifestent, vt de illis directam absolutionem obtineant. Vide me ipsum in tertia parte, tractatu 4. * resol. 104. & tract. 5. resol. 68.

RESOL. XCVII.

An Regulares quando consentitur extra Ordinem cum licentia Superiorum teneantur eligere Confessarium ab Ordinario approbatum?
Et an Prapostiti nostre Religionis possint confiteri simpli Sacerdoti nostre Religionis, qui non sit admissus ad confessiones audiendas à nostro Patre Generali?

Quæ hęc est in R. 99 in eius § 1. & in Ref. 92. §. Quoad, & in R. 94. §. vit. & in ro. 1. tr. 3. R. 31. §. In vao, & seq. & in ro. 3. tr. 1. R. 39. §. Et tandem, & hic infra in §. Vnde, huius Ref.

Sup. hoc pro Iubilæo, in R. not. seq.

Sup. hoc inf. in R. 98. §. Sed hic, & seq. & in ro. 4. tr. 4. R. 7. §. & 9.

Generali? Ex part. 4. tractat. 4. & Miscellan. Resolut. 3.

5. 1. Negativam sententiam docui cum 19. Doctoribus in additionibus positis in quinta editione Lugdunensi meorum operum, resolut. 4. quibus nunc addo Barbofam de potest. Episc. part. 2. ult. §. 64. Molfesum in summ. tom. 1. tract. 7. §. 2. c. 14. num. 60. Sancium in selectis disp. 49. numer. 7. Bonacinam de Sacrament. disp. 5. quest. 7. num. 25. Chapeauillam de cas. reseru. quest. 2. diffi. 4. Hobonum de exam. Eccles. part. 1. tract. 5. c. 22. §. 12. Mirandum in manual. Pralat. tom. 1. §. 4. art. 11. concl. 2. Præpos. in 3. p. D. Thom. qu. 8. dnb. 2. nu. 6. Coninch. de Sacram. disp. 8. dnb. 7. num. 48. Et ratio est, quia Concil. Trid. sess. 23. cap. 15. de reform. vt patet clarè ex eius lectura, nihil innovat circa Regulares; vnde sicut ante Concilium poterant confiteri cum Sacerdote seculari sine vlla approbatione Episcopi, sic etiam possunt hodie post illud, à iure enim antiquo non est recedendum, nisi expresse per aliud recens emendatur, corrigatur, limitetur, aut reuocetur, ex l. precipimus, c. de appellat. & c. 2. de translat. Pralat. sed in Conc. Trid. vt dictum est, nihil circa religiosos emendatur, corrigitur, aut reuocatur, ergo &c. Et fundamentum, quare Concilium nihil quoad Regulares innovarit, est, quia ratio quæ mouit Patres illos ad irritandas confessiones secularium, quæ fierent Confessariis non approbatis à suis Episcopis, non militat in Religiosis, & Monialibus, seculares enim conscientias habent communiter grauioribus peccatis oneratas, & idèd ratio postulat, vt illis darentur, & assignarentur Iudices, & Medici, qui à suis Episcopis iudicentur idonei; Religiosi autem communiter sunt cautiore in peccando, & conscientias habent magis timoratas.

2. Verùm his non obstantibus cum hæc opinio, vt visum est, sit fundata in apertis verbis Concilij, & sit communi calculo recepta, non solum ab his qui scripta sua typis mandarunt, sed etiam, qui è sublellis docent, quis crederet aliquem ita strenuum militem esse, vt auderet aduersus tot fortissimos Duces pugnam aggredi, & torrenti Doctorum se opponere; & tamen iterum is est P. Peregrinus, qui in nouiss. addit. §. 4. affirmatiuam sententiam mordicus contra me docet, sed videamus catapulas & arietes, quibus ipse conatur hanc arcem expugnare.

3. Primò, asserit hanc sententiam tenendam esse ratione consuetudinis post d. Conc. Trid. quia Ordinarij tam seculares, quam Regulares, non permittunt Sacerdotes suos subditos ab eis non approbatos, audire Confessiones tam secularium, quam Regularium, nec ipsi Sacerdotes non approbati ab Ordinariis suis volunt audire. Respondeo, quòd totum hoc gratis dicitur, & idèd gratis negatur: nam quando casus accidit, dico Sacerdotes sine approbatione Episcopi confessiones Regularium excipere: deinde quæro à P. Peregrino, quare talis consuetudo ipsi soli innouit, & non innumeris DD. Italis, Hispanis, Gallis, qui contrariam sententiam docuerunt, mira res est ipsum solum circa cognitionem talis consuetudinis Argum. fuisse, & omnes alios talpas; sed ego constanter nego adesse, imò non solum Episcopi huic opinioni se opponunt, vt vult Peregrinus, sed illam docent, vt fecit Thomas Zerola Episcopus Beneuentanus in praxi Pœnit. cap. 15. quest. 2. neque scio vsque adhuc cautum fuisse in ordinatione alicuius Diœcesis.

4. Secundò asserit Peregrinus, quando Summus Pontifex per Iubileam, & sacram penitentiam concedit facultatem Regularibus eligendi idoneum Confessarium, semper ponit clausulam illam, dummodo Confessarius sit ab Ordinario approbatus: ergo, &c. Respondeo hoc argumentum nihil probare, quia vt optime obseruat Fagundez de præcept. Eccles. præc. 2. lib. 7. cap. 2. num. 5. & 12. & alij; Summus Pontifex vult concedere illam gratiam cum tali onere, & conditione, quæ quidem in dictis casibus merito apponitur, cum Regulares possint confiteri extra Religionem, in casibus eorum Prælati, ergo visum est prudenter Summis Pontificibus in tali casu magis cautè ambulare, illaque gratias cum tali conditione concedere.

5. Tertiò argumentatur Peregrinus ex declaratione sacre Congregationis asserentis Episcopis non posse sibi eligere Sacerdotem non subditum, qui à proprio Ordinario non sit ad formam Concilij Tridentini admissus ad audiendas confessiones; ergo multò minus Religiosus, qui habet facultatem eligendi sibi Confessarium, poterit eligere Sacerdotem, qui non sit admissus ad confessiones audiendas iuxta formam Concilij Tridentini. Respondeo negando consequentiam, quia Episcopi includuntur in determinatione Concilij Tridentini, quòd nullus Sacerdos possit audire confessiones secularium sine approbatione sui Ordinarij; & idèd rectè sacra Congregatio hoc declarauit. Regulares verò, vt docent omnes, & patet ex ipsis verbis Concilij, in dicto decreto non comprehenduntur: ergo non rectè P. Peregrinus argumentatus est in hoc casu de Episcopis ad Regulares. Adde quòd non est nouum ex priuilegio multa concessa esse Regularibus, quæ Episcopis denegantur.

6. Et tandem asserit Peregrinus, quòd vbi est eadem ratio, debet esse eadem iuris dispositio; sed eadem ratio militat in auditione confessionum Sacerdotum secularium, & Episcoporum, ac Religiosorum, ergo eadem dispositio Concilij Tridentini seruari debet circa Sacerdotes, qui audiunt confessiones Regularium, quæ seruantur circa illos, qui audiunt confessiones Sacerdotum secularium, & Episcoporum: nam Sacerdotes seculares non sunt estimandi peioris conscientia, quam Regulares. Ita Peregrinus. Sed respondeo quòd valde miror apud illum Clerum secularium pari passu procedere cum Clero Regulari. Ego seculares Sacerdotes valde veneror, & scio inter illos aliquos sanctiores inveniri aliquibus Religiosis, sed absolute loquendo perfectiores reputantur Regulares, & cautiore in peccando, quam seculares Sacerdotes; vt probat D. Thomas quod lib. 3. q. 6. art. 17. Vnde rectè hos in decreto inclusit Tridentinum, non autem illos, & idèd nescio quo pacto asserere potuerit Peregrinus non adesse disparitatem rationem inter illos.

7. Hinc ex his sequitur, præpositos locales nostræ Religionis, quibus non deficit commoditas confitendi Confessariis nostræ Religionis, posse confiteri simpliciter Sacerdoti nostræ Religionis, qui non esset admissus ad confessiones audiendas à nostro Patre Generali, quia vt dictum est, habent potestatem eligendi Confessarium, & Tridentinum nihil innovat quoad approbationem Confessatorum in ordine ad excipiendas confessiones Regularium, & rationes quas pro contraria sententia adducit Peregrinus qu. 5. omnes soluantur ex supradiçtis.

RESOL. XCVIII.

An Religiosus si cum licentia Superioris manes extra Monasterium, teneatur confiteri cum Sacerdote approbato ab Ordinario.

G E

Sup. hæc doctrina. & arg. sup. in R. 91. §. 1. & signanter, in §. 2. & in alijs annor. primæ dictæ Ref.

Sup. hoc magis late sup. in R. 92. §. Ex his, & lege etiam doctrinam §§. eius annor.